PLATO ET SPINOZA
PHILOSOPHI INTER SE COMPARATI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOSOPHICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
PRO
SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCEDENDIS
DIE VIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXLV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Karl
CAROLUS SCHAARSCHMIDT
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
R. BERGMANN, CAND. PHIL.
H. JANKE, STUD. JUR.
GUST. SCHULTZE, CAND. THEOL.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

45

FR. GUIL. JOS. SCHELLINGIO

PHILOSOPHO

VIRO DE GERMANIAE STUDIIS ARTIBUS LITTERIS
OPTIME MERITO

LAUTISSIMAE SAPIENTIAE

DOCTORI

FLORENTISSIMO NATURAE RERUM INTERPRETI

PRAECEPTORI MAXIME COLENDO

HOC SUUM OPUSCULUM

PIETATIS AC REVERENTIAE SUMMAE

SIGNUM ESSE

VULT

SCRIPTOR.

PLATO ET SPINOZA PHILOSOPHI INTER SE COMPARATI.

Quod inter omnes scimus constare, unum quemque hominem vitae suae, aetatis atque patriae conditionibus ita esse subjectum, ut ab iis emancipare sese fere non possit: id mihi hoc loco rependendum est, quum ad Platonis ac Spinozae philosophorum accedam comparationem. Nam ne quid omittatur, conferre etiam ea constitui, quae videntur fortasse minus fructuosa neque ad rem meam idonea; ea nimirum, quorum nativa vi homines tamquam inscientes tanguntur ac devinciuntur, patriam dico, litterarum statum atque artium, maxime eruditionem, qua ad formanda ingenia nihil efficacius.

Ac Plato natus est Athenis eodem anno, quo furente bello Peloponnesiaco defunctus Pericles summam reipublicae gloriam secum in Orcum videtur abstulisse. Quamvis enim summa esset exorta civium contentio, ut repor-

tarent victoriam, Lacedaemonii tamen evaserunt potiores, et quas sibi saluti fore speraverant, expeditiones in Siciliam factae perniciem maximam attulerunt Atheniensibus. Et prima quidem Platonis juventus id in tempus incidit, quo, etsi bello petita, floruit respublica; sed quo anno ephebus factus est, eodem omnium fere Athenis rerum immutatio fiebat. Ingenti enim optimorum civium in Sicilia accepta clade, multitudo imperium coepit tenere et democratia abiit in ochlocratiam, donec Lacedaemonii victores constitutionem plane novam civitati Atticae imponerent. Plato autem, quum nobili loco natus esset et optimatium partibus sese applicaret, summo odio habuit hunc, quo multitudo res summas tenebat, reipublicae statum: quod aperte profitetur in Reip. libr. VI; se prorsus abstinuisse a rebus gerendis non obscure significans. Quodque summum habet in philosophia, ut animus a pravis libidinibus purgetur et erigatur ad contemplanda ea, quae vera sunt et aeterna, id quominus homines attingant, summopere impedire putat talem reipublicae statum, qualem ipse erat perpessus. Neque vero factis sese rerum novarum studio opposuit — quod vanum esse sibi jure persuaserat — sed a civitate regenda abhorrens colloquiis disputationibusque institutis inter amicos ac discipulos divinam istam promere solebat sapientiam, quamvis et eloquentia prudentiaque civili excelleret et cognatorum stimularetur instigationibus, qui sui generis publicum decus eum fore speraverant. Nec dici potest, quanto momento status iste patriae suae, quae ad multitudinis imperium usque licentius trahebatur, fuerit Platoni; quo enim religiosius rempublicam detrectabat capessendam, eo se acrius ad contemplandam veram ac perfectam rempu-

blicam contulit, cujus splendidissimam in animo concepit imaginem, auro atque aere perenniorem. Qua in re quum teneretur ochlocratiae Atheniensis odio, ad Lacedaemoniorum civitatem admirandam et quodammodo imitandam naturali quadam necessitate ferebatur. Inde in optima Platonis republica licentia matrimonii, inde paucorum imperium, inde institutio puerorum durissima ac longa, inde — quod fere summum est — morum ipsorum plurima auctoritas: quas res apud Lacedaemonios antiquitus usitatas in suam utilitatem transferens Plato philosophicis rationibus firmavit nobilitavitque.

Spinozae autem longe alia fuit conditio civilis. Cujus familia quum ex Hispania Judaicae fidei servandae causa confugisset in Hollandiam, non solum quiete vixit, verum etiam contentus quia patria libertate gaudebat summa, ac philosopho rara temporum felicitate et sentire, quae vellet, et quae sensisset, conscribere licebat. Sed plurimum expertus odium eorum, qui ab eo aut Mosaismum negligi aut Christianismum impugnari nolebant, desiderio amplectebatur eum totius mundi statum, ubi sibi quisque indulgere posset et pro sua voluntate vivere, ab inimicitiis solutus adversariorum.

Quod si Plato a publicis rebus abstinuit propter praevalentis multitudinis invidiam atque aristocratiae studium, quum et gloria majorum et suo ingenio ad eas capessendas destinatus esse videretur, pariter Spinoza civitatem regere nec potuit nec voluit, sed scriptis suis juris publici fundamenta jaciendo multo majorem utilitatem attulit humanitati promovendae, quam si magistratu ipse esset functus. Multum igitur etiam hic studii impendit arti politicae, qua ita fertur excelluisse, ut ejus aetatis

principes ac proceres ab eo rerum gerendarum consilia petierint. Tractatus autem politicus, quem habemus, civili sapientia pollet. Magis etiam admirabile est, quod ubique per opera sua homines ad mutuum amorem studet erigere, hac quidem in re vere christianus. Nihil enim homine utilius homini esse dixit, nihil propius. Tempori autem futuro commendavit, quae praesens non haberet; at Plato de Graecorum rebus fere desperans, reipublicae imaginem constituit talem, quam naturalem quidem esse credit et rationalem, ad quam vero quomodo possit perveniri, nullomodo docet.

Sed ne praecipiam ea, de quibus postea erit dicendum, disputationem meam avocabo ad explicandam utriusque temporis eruditionem universam ac communem, quatenus ad formanda nostrorum philosophorum ingenia contulerit. Jam quia omnino, quantum studii antiquitas Graeca, donec defloruisset, in pulchri ac venusti studio collocaverit, bene tenemus, non est, quod miremur, ad pulchritudinis normam et ut ita dicam mandatum composita esse Platonis opera. Recentius autem tempus quum semper tendat ad id, quod necessarium sit ac solummodo rationale, nec se abripi patiatur externis rerum tanquam ornamentis, Spinozae ratio simplex est ac gravis, paene inculta, sed ingenti quadam vi aggrediens summam rerum comprehendendarum. Est ergo doctior, Plato artificiosior. Et quae Platonis tempore maxime floruit hominumque animos detinuit poësis, tam altas radices egit in gremio nostri philosophi, ut postea, quum ad philosophiae castra se recepisset, nunquam poëta esse desineret. Quis enim negabit, non solum mythos ac comparationes, quibus scripta ejus abundant, sed etiam formam

dialogorum vere dramaticam ipsamque cogitandi rationem atque imaginandi poëseos prodere amorem studiumque? Quo circa Plato interdum poëtae similior est, quam philosophi. Quanto est severior Spinoza! Hic nusquam verborum ac sententiarum laetam praebet copiam, nusquam, velut Plato, formulas quodammodo rhythmicas sibi imponit, quo licentius inter earum fines exspatietur, sed naturam dum vult sequi solam, naturam autem strictissimis legibus contineri judicat, ad certas leges et simplices demonstrationem omnem revocare conatur. Qua in re, quod jam nunc indico, miram auctoritatem tribuit mori demonstrandi geometrico, quem Plato ad animos in philosophia tantum initiandos utilem habuit, ab ipsa vero philosophia longius seclusit.

Platonis tempore nondum methodus scientiae tractandae erat constituta; suo quisque ingenio, aliorum nulla habita ratione quemadmodum ipse voluit, protulit sententias suas. Itaque Plato, quum mirificam quandam poëseos cum philosophia familiaritatem esse cognovisset, mixtam e duabus formam suorum operum esse voluit, prosamque philosophiae orationem, nimio intervallo a poëseos similitudine avulsam, propius ad eam revocavit. Adhibuit enim ei dialogum; quo facto philosophicae institutioni motum vitamque dedit; immo accuratius eam ad humanae captum naturae accommodavit.

Altius autem nobis philosophandi fontes apud nostros duumviros repetentibus non sufficiet universam saeculi eruditionem considerasse, sed via etiam, qua ambo ad philosophiam ferebantur, indicanda est. Qua in re, quam ingens ac fere inexpressa philosophiae ad hominum animos movendos et ad ipsam convertendos sit vis, poterit

intelligi. Ille enim — Graecum dico — genere suo ad regendam civitatem vocatus, ingenio ad poësin, utramque destituit, ut philosophus fieret: Spinoza quae secutus fuerat studia theologiae Judaïcae, abjecit, licet ob id suis inimicus et egens futurus, quum solo veritatis ac purioris sapientiae amore incenderetur. Nec tamen fieri potuit, quin juvenilium annorum occupationes ac studia apud utrumque plurimam in philosophando auctoritatem habuerint. Quocirca operae pretium mihi facturus esse videor, si enumero ea, quibus instituebantur ac formabantur ingenio.

Et Plato quidem ipse in Protagora profert Atticorum disciplinam, cujus finem nominat eurhythmiam et euharmoniam; quas profecto nemo perfectius expressit ipso philosopho. Colebantur tunc artes fere omnes Athenis, architectonica et statuaria, cujus licuit ubique pulcherrima ac publica oculis inspicere monumenta, maxime autem dramatica, cui admodum adolescens Plato operam navavit. Quamquam philosophia etiam non inculta jacuit. Nam physiologia ab Jonibus prolata, Eleaticorum ac Pythagoraeorum scholis in magna Graecia constitutis, Heracliti atque Anaxagorae sententiis longe lateque gliscentibus, omnium ordinum ac dogmatum philosophi Athenis congregabantur, quod illic et docendi facultas dabatur, et discendi studium vigebat. Diversas autem philosophorum disciplinas Socrate auctore in judicium convocavit Plato criticisque argumentationibus non destruere, sed velut disjectas verae sapientiae partes suum in usum convertere decrevit. Itaque nec substantiam Eleaticorum immutabilem neglexit, nec fluctuationem istam rerum Heracliteam, nec Pythagoraeorum morales sententias ac mythos,

nec denique Anaxagorae procreatricem mentem, sed quem ad modum reguli minores ad magni Caesaris solium adstant, cujus parent mandatis, ita Plato scriptis suis omnium illorum rationes comprehendit sibique subjecit. Ab Socrate vero, quem docentem inducit et disserentem, philosophiae accepit fundamenta, ut supra demonstravimus, accepit etiam tractationem rerum dialecticam. Proprium fuit omnino Atheniensibus, multa loqui et de multis: quo cum studio conjunctae erant festivitas atque ironia et summa dicendi judicandive subtilitas. Cujus rei testes habemus lepidissimas Aristophanis fabulas, — quas ne nunc quidem emortuas esse nostra urbs ingenti Ranarum applausu probavit. — Quodque Aristophanes adversarios suos acerbis ludibriis ac publica reprehensione solebat petere, id Platoni etiam in more fuit. Praecipue autem sophistas, temporis ejus gravissimam pestem, impugnavit, quos et certis demonstrationibus et operum forma devicit. Qui quum auditores longis orationibus bene adornatis ac lepide perorantibus (ἐπιδείξεσι) defatigarent, Platonis ea est operum ratio, ut nos medias in res atque philosophiae tamquam in praesentiam rapiat.

Platonem ergo, quum eo esset ortus populo, qui et pulchri artiumque cultui deditus et ingenii non solum celeritate verum etiam felicitate praestans, humanitatis haud mediocrem tenuit locum, quum et ipse poëtica facultate valeret et dialectices atque virtutis praeceptorem habuisset Socratem, nihil eorum omnium ad philosophiam non adhibuisse videmus, mediamque tenuisse sentimus viam ejusmodi, ut neque doctrinae systema large elaboratum formaret, neque notiones philosophicas dijudicaret modo, sed seriem quandam operum artificiosissimorum propone-

ret, quibus lectorum ingenia excitaret et ad virtutem redderet aptiora.

Contra Spinoza, etiamsi summum operum ejus consilium esset idem, scilicet ut verum doceret impugnaretque falsas hominum opiniones, prorsus diversum iter ingressus est. Vixit enim ea aetate in eaque terra, ubi neque poësis ceteraeve artes vigebant nec ad eruditionem in suo genere perfectam (uti tunc in Graecia erat) esset ventum, sed ubi instar omnium non minus cogitandi quam scribendi florebat libertas, omnis illa praestantiae ac virtutis mater. Ac quam Lutherus in ecclesia fecerat restaurationem diu optatam, eandem in philosophiam tunc introducere studuit Cartesius. Jam vero Spinoza, quum sectator factus Cartesii, ejus doctrinam magis etiam perficeret absolveretque, non solum scientiam scholasticam, uti ille, adoriebatur, sed ipsum etiam Christianismum. Cujus rei causa est haec. Religionem Christianam quia fundant res, quae vere factae esse creduntur, Spinoza autem veritatem non rebus factis, sed soli mentis cogitandique rationi inclusam esse arbitrabatur, Christum non credidit dei filium esse, sed dei prophetam; ideoque Christi cum deo conjunctionem non realem (secundum carnem), sed spiritualem statuens, aliam dei revelationem, quam per animum ac spiritum factam, esse negat. Qua sententia Spinoza sane totum Christianismum vult evertere. Nec potuit fieri, quin Spinoza, quum vix Judaeorum fugisset insidias, in Christianorum incideret odium, maxime theologorum, qui plerumque caeca et effrenata stupiditate ejus rationes impugnabant et exsecrabant. Quid? quod vir sanctissimus et paene divinus atheismi ab iis accusatus est! Adversus quos Spinoza acerrimam iniit pugnam, qualem

Plato contra sophistas edidit. Nec falli mihi videor, si universum Spinozismum nominem reactionem contemplationis mundi teleologicae; deus enim istorum erat teleologicus h. e. secundum certas rationes ac fines agens ex suo consilio: quem ad conceptum exstirpandum ethica Spinozae ubique tendit. Attamen magis naturali rerum cognitione fretus est, Plato ethicis rationibus; quam diversitatem a diverso doctorum ingenio (Geistesrichtung) licet jure repetere.

Socrates enim, quamvis ut Cartesius a sui conscientia principium philosophandi sumeret, ad ethicam tamen eo erat propensior, quo magis Athenienses corruptis moribus laborabant. Cartesius vero mathematicam ac scientiam naturae, quae tunc temporis ingens ceperant incrementum, tanto ardore complexus est, ut in iis omnem quaereret philosophiae finem, ad eas omnia dirigeret ac vere physicus posset vocari. Qui quum mundi duas causas poneret, materiam ac motum, Spinoza eo extendit religionem Judaïcam, ut deo omnem tribueret potentiam atque existentiam ideoque monismum naturae constitueret. Deum autem quoniam sola meditatione attingimus, Spinoza mundum ac naturam legibus rationalibus non solum regi, sed constare credebat: unde doctrinae severitas ac paene frigida immobilitas. —

Sed hoc ipsum me adducit, ut de philosophandi ratione sive methodo, qua uterque duumvirorum usus est, paucis exponam. Fieri autem nullo modo hoc potest, quin redeatur ad id, quod apud ambos philosophandi fundamentum ultimum praebet, quod non demonstratur, sed verum esse ponitur. Supponit autem idem nostrorum uterque, scilicet summam cogitandi et existendi unionem. Quae

quoniam et idealis potest esse et realis — scilicet quando ea, quae existunt, tantum ut cogitata et ad nostram conscientiam pertinentia considerantur, unio fit idealis; si cogitatio ad solam existentiam refertur, realis — uterque realem esse vult. Sed tamen hac ipsa re aliquantum inter se discrepant. Spinoza enim, apud quem fere idem est cogitatio et idearum formatio, ideas semper et directas esse ad ens quoddam et eas ipsas existere dicit attribuitque substantiae; Plato autem de scientia et cognitione magis loquens quam de cogitatione, cognitionem quidem veram existentiam attingere judicat, sed tamen ipsam mentem mixtam esse vult et mobilem nec omni ex parte vere existentem, ac ne res quidem corporeas, licet ex ente et ex non-ente commixtas, ei prorsus subtrahit. Praecipit autem, ut in philosophando a suppositionibus eatur ad id, quod sine suppositione est; illud *ἀνυπόδετον* enim est vere existens. Quocirca videmus, realem cogitandi existendique unionem apud Platonem esse talem, ut illud vere existens, quod initio neque in animo pure reperitur neque in rebus cognitioni extrinsecus objectis, cogitatione et memoria perquiratur: quae omnis quaestio est philosophiae. Neque vero ipse Spinoza ideas quasdam mutilas et inadaequatas esse negat, sed nec quomodo oriantur exponit et omni se studio dat verarum et adaequatarum idearum contemplationi. Etenim uterque tum demum elucescere verum dicit, quum ventum sit ad vere existens, quod Plato idearum nomine, substantiae Spinoza comprehendit. Quae via apud illum est dialectica, apud hunc emendatio intellectus. Quod si ille aliquid sub ideae specie considerat, verum esse censet, Spinoza, si sub substantiae. Sed quantum veritatis atque evidentiae tribuerint existen-

tiae notioni, luculentissimo exemplo potest indicavi. In Sophista Plato τό ὄν (ens, substantiam) demonstrat neque unum neque multa esse posse, neque corporeum neque spirituale. Quid inde concludit? τό ὄν esse intermedium horum omnium, ad omnia autem pertinere per aliquam conjunctionem (μέθεξιν); cujus demonstrationis hypothesis ac propositio major est: e s s e τὸ ὄν. Simili modo Spinoza Eth. I. VII. essentiam substantiae dicit involvere existentiam. Hae sententiae, quibus nihil sane audacius potest fingi, summa illa cogitandi et existendi unione fundantur.

Deinde autem, quae fere est ingenii humani communis proprietas, uterque philosophiam dirigit ad aliquid absolutum et perfectum ac principale, quod omnem veritatem in se contineat puraeque cognitionis sit objectum. Ea quoniam sententia altera nostrorum philosophorum est hypothesis, jam videamus, quomodo se habeat. Ac primum quidem Spinoza deum philosophiae suae summam ac paene unicam notionem facit, quem dicit esse substantiam eundemque infinitum. Hic est sui causa, per se consistens; rerumque etiam immanens causa, cujus e natura omnia aeterno modo sive inevitabili necessitate sequuntur. Plato sibi minus constat in definitione illius, quod sit τὸ ἀνυπόδετον. Sunt enim ideae, quas etiam vere existentes facit: super quas omnes ponit ideam boni. Immo ad deum sese extendit conceptione. Quocirca videre est apud Spinozam summam notionem ac principalem esse substantiam, quae omnem veritatem in se habet, ad quam et mens nostra dirigitur et cujus tantum attributa modique sunt ceterae notiones ac res: Platonem vero substantiam (οὐσίαν, τὸ ὄν) universum quidem philosophiae fecisse objectum,

sed non acquievisse in illa, sed ut eam magis definiret, ad boni notionem et dei creatoris ascendisse. Longe igitur alia est Platonis substantia atque Spinozae. Hic enim quum mundum in duas quasi partes diremisset, alteram mentis sive cogitandi, alteram corpoream sive extensam, has partes sub una eademque existendi notione, quae est substantia, ita voluit concipi, ut neque extensio neque cogitatio aliquid propriae potestatis haberent, sed referrentur tantum ad substantiam ut attributa. Plato autem primum contemplatus externum mundum, quum illam existendi et cogitandi unionem in vera substantia quaereret, initio rerum figuras ac formas, quae et cum mente congruae essent et ipsis adhaererent rebus, vere existere, deinde ad formam omnia pertinere judicavit, quae praedicari de rebus possent, porro, quoniam omnis figura e rei fine repeteretur (die Gestalt gründet sich auf den Zweck), cum ideis conjunxit notionem finis (den Zweckbegriff). Quibus ideis, quum vere existentes essent, aeternitatem dedit et numerum infinitum et facultatem sese rebus et menti informandi: nam quia hic rerum mundus materiae nequaquam est expers, materiae autem plena existentia non convenit, verus est et aeternus mundus is, ubi ideae in se solae vivunt ac spectantur. Quod si Spinoza mentem et extensionem discretas sub unius substantiae notione atque imperio copulavit, ut fieret monismus: Plato primum cogitationem et res extensas disjunxit, conjunxit denuo per ideas quasi medias; deinde ideas eas, quae menti nostrae insint et rebus, non veras esse dicit, sed tantum simulacra verarum idearum, ad quas in orbe supermundiali vigentes mentem nostram erigere oporteat. Quare quaesierit fortasse quispiam, quomodo apud Spino-

zam diversitas rerum admittatur, apud Platonem conjunctio rerum cum ideis, deinde animi cum ideis possit supponi. Cui quaestioni opponit Spinoza necessitatem, omnia dicens, utut sunt, per divinam necessitatem, quae est sui causa ipsa, esse facta et existere; Plato deum et idearum et mentis et rerum induxit creatorem, qui quum bonitate sua impulsus creaverit, intelligi potest: bonum enim idea est. Neuter tamen difficultatem propositam solvit.

Jam his allatis diversas nostrorum philosophorum rationes licet inspicere. Plato enim ideas ponit numero infinitas esse et vere existere: quocirca eas sigillatim secundum ipsarum proprietatem (Individualität) studet cognoscere. Quum vero omnem rerum proprietatem observatione tantum et appropinquando complectamur, Plato analytico modo philosophatur, cujus rei haec est ratio, ut notiones in se solis spectatae credantur verae esse et vere existere ac verum quaeratur per eliminationem falsi continuatam. Porro quoniam nulla proprietas disci potest, nos autem idearum propriarum notiones habemus, recordatione possidemus eas ejus mundi, ubi pure nobis apparuerunt. Attamen ne quaestio idearum analytico modo intelligendarum in infinitum extendatur, componit eas philosophus et sub boni idea collocat, qua tanquam regnante regantur. Quomodo autem haec compositio fiat, non demonstrat, sed indicat tantum. Boni ideam ipsam sub pulchri specie et sufficientis et congruentis concipi vult; ipse autem istam definitionem rei summam nondum attingere addit. Contra Spinoza, ut proprie loquamur, nihil quaerit, omne enim habet, quum habeat substantiam sive ens infinitum. Rerum igitur proprietatem, quae sine

dubio unicuique patet, magis destruere et dissolvere philosophando studet, quam retinere et explicare. Qua in re summo auxilio ei est, quod ad substantiam omnia ut attributa aut modos sive attributorum affectiones refert: quo facto putat summam restituisse unionem. Confidit enim, intellectu humano emendato, totam hujus mundi diversitatem, quemadmodum apud Homerum Oceanus maria omnia et omnes fluvios puteosque in se recipit, ad unam eandemque speciem causamque iri redactum. Platonis ideae, ut sunt *τὸ πέρας* sive *τὸ περαῖνον* certumque ambitum habent, infinita Spinozae substantia atque omnem superans modum, ita meditatio Platonis semper ad singula quaeque flectit contemplanda, alter omnia sub aeternitatis et infiniti specie comprehendit.

Deinde Spinoza quum omnia ad substantiam redigat, hanc autem se cogitare putet, omnia ipsamque extensionem se cogitare judicat et in se quodammodo continere per conscientiam; verum Plato, uti oriundus erat ab externarum rerum consideratione, ita ne ideas quidem animo nostro inesse, sed extra nos dicit positas. Spinoza mentem substantiae partem, Plato ex parte substantiam esse censet. Cogitat igitur Spinoza et est tamquam et habitat in substantia, Plato cognoscit et se convertit ad ideas; Spinozae meditatio est immanens, transcendens Platonis.

Quae res ut magis etiam appareat, quid de philosophia judicaverit uterque, videamus. Plato philosophiam vult esse dialecticam, dialecticae autem eam dat provinciam, ut omnia in ideas disposita spectet (*κατ' εἴδη διαιρούμενα σκοπεῖν*) Omnium rerum ac notionum quum vera natura per ideas capiatur, dialectica opus est, cujus auxilio progrediamur. Spinozae philosophia est cognitio unionis, quam mens

cum tota natura habeat: quam unionem — quae qualis sit non liquet — necessariam esse propter cogitandi et extensionis aequalem conditionem contendit. Plato quum rerum scrutetur qualitatem, Spinoza necessitatem omnium tamquam praesciat ac possideat, ille studet verum reperire, hic repertum proponit. Inde apud Platonem qui omnia per se ac proprie comprehendere vult, incredibilis quaedam varietas, copia, mobilitas, quae simititudinem ipsius rerum naturae referunt; Spinozae scripta summam produnt simplicitatem et tranquillitatem — quae est omnino mentis nostrae ac eogitandi natura —; alter fluvio similis est catarrhactis ac sinuationibus frequenti, alter maris aequori silentissimo.

Ac si mihi licet denuo imaginem inferre et voces nostro usitatas tempore, Platonis philosophia dynamica est, statica Spinozae. Ille enim a suppositionibus ad id, quod suppositītium non sit, processurus disputationes instituit per gradus ascendentes et ut ita dicam organiscas (ζῶα). Spinoza mox substantiam nactus ab ea omnia derivat, vel ad illam refert et applicat. Platonis demonstrationes sunt inductoriae (ἐπαγωγικαὶ) et combinatoriae; Spinoza plerumque ea, quae est demonstraturus, more geometrico proponit; ille ergo analyticam, hic syllogisticam rationem unice sequitur. Nec negari potest, magis cohaerere inter se ea, quae apud Spinozam traduntur, licet enim hoc vel illo loco quaedam postulare cogatur, studet tamen ubique rationali modo procedere, ut systema rationis efficiat: Plato saepissime ne postulat quidem, sed veritate notionum ac rerum etiam exterarum magis confisus, ingenue ac simpliciter eas in argumentatione recipit. Itaque hic mixtam rerum copiam mobilem-

que diversitatem notionum ad systema organicum cogitatione conjungere studet; Spinoza autem per principium suum unicum atque universale animum ita vult emendari, ut cum natura unitus absque errore summam ubique unionem et videat et ipse efficiat.

Non mirum ergo, quod alterius philosophiae externa etiam ratio ab altera longe fuit diversa. Neque vero ea explanaturus sum, quae ad historiam pertinent, ut Plato in Graecia ipsa invenerit plurimos discipulos, Alexandriae deinde Neoplatonismus sit secutus, quantam admirationem primis Christianae ecclesiae temporibus philosophus noster in se verterit, qua per aetatem mediam, magis vero per haec fere quatuor saecula floruerit auctoritate, ut contra Spinoza partium fere omnium acerbissimas inimicitias perpessus, a paucissimis intellectus sit, a paucioribus etiam adamatus, quanta nihilominus vi moverit hominum animos, — haec omnia, dico, nullo modo explanaturus, brevi tantum duumvirorum nostrorum summas operum rationes inter se comparabo, ut hac etiam ex parte, quid simile habeant, quid diversum, clarius eluceat. Plato, ut supra demonstravimus, animos humanos per depravationem quandam in corpora esse conjectos ideoque sese aeternarum idearum contemplatione ac reminiscentia paulatim erigere homines ad similitudinem deorum existimans, philosophiam sive dialecticam facit animi purgationem totiusque hominis emendationem, quae sensim sensimque efficiatur; Spinoza non optimam philosophiam invenisse, sed veram se scire dicit, quam ita docet, ut in unius substantiae conceptu consummatam veri scientiam inesse credat. Plato itaque per scripta sua hominum animos aptos reddit ad dialecticam, cujus ope ideas attingant et redeant ad com-

mercium earum purum, nec docet plerumque sententiis propositis, sed ingenia lectorum acuit et excitat: Spinoza nihil non fecisse putat, si homines substantiae sive dei notione imbuisset. Ita Graecus complures ac diversas rerum scitu dignissimarum disceptationes iniit; Judaei totam philosophiam commentarium possis appellare unius notionis; ille diversas res secundum ipsarum proprietatem indagat, hic diversitatem omnem delere conatur. Unde hujus doctrinae uniformitas ac fere nulla partitio; quin immo mirum est, quum quando ejus partes distinguantur. Platonis autem tanta est varietas operum, ut sententias omnes inter se conciliare haud facile sit.

Sed tamen hic — dico Graecum — rerum varietatem analogicis rationibus ordinat et coaptat omniaque quodammodo inter se similia esse ratus, inductionibus ubique uti, ac quod in una re cognoverat, ad alteram transferre non dubitat. At Spinozae sententia: ordo et connexio idearum idem est ac (lege: atque) ordo et connexio rerum, quamquam cum Platonis ratione modo significata convenire aliquando videtur, tamen in universum magis dicta est, quam ad ipsam philosophiam adhibita. Plato autem quas res ubique ad ipsarum proprietatem revocare studuerat, eas analogiis inter se conjungere iterum ausus est. —

Plato quum omnem philosophiam in partes perhibeatur divisisse tres, in dialecticam, physicam, ethicam, de idearum agam doctrina, quae dialectices simul et finis et instrumentum est, haud secus ac Spinozae substantia. Meditationis vero dialecticae apud utrumque duo quasi gradus esse constat, alterum propaedeuticum, per quem ad id ascenditur, quod methodi principium praebet, ad

Platonis ideas, ad Spinozae substantiam; alterum philosophandi ipsius, quem, simulatque ista principia apparuerunt, firmissime tenent. Quorum prior quidem graduum disquisitiones quasdam de cogitandi cognoscendique natura institutas in se comprehendat necesse est; in altera autem, philosophandi instrumento ac modo parato, primum ad viam respicitur, quae percurrebatur, mox vero ad res itur ipsas, quarum e contemplatione oriatur scientia philosophica.

Ac primum ars illa propaedeutica, de qua acturus sum, alia est Platonis, alia Spinozae. Ille enim non simpliciter, sed per plurimos dialogos paulatim lectores ad idearum doctrinam elevat, per Phaedrum, Theaetetum, Parmenidem, Sophistam ad Philebum jam explicatius disserentem; Spinoza in tractatu de emendatione intellectus inscripto paucis foliis tractat methodum.

Alter idearum usum in philosophando, alter substantiae docet. Uterque dicit esse perceptiones quatuor, sed Plato easdem dividit ac metitur secundum naturam earum, quae cognoscuntur, rerum; Spinoza secundum ipsarum formam ac naturam perceptionum (conferantur, quibus haec exponuntur, Plat. Rep. l. VI. Sp. tr. d. e. int.); scilicet alter ad res externas conversus, alter mera cogitatione fretus. Cui sententiae si contrarium videtur, quod Spinoza in tractatu citato et in ethica etiam, saepissime ideas rerum nominat, non prorsus potest quidem negari, eum hac in re ad majorem cum Platone similitudinem accedere, sed tamen, quum postea appareat, omnes rerum ideas sub una substantiae idea concipiendas esse, illae Platonis ideae cum rerum singularum apud Spinozam ideis non conveniunt. Neque etiam dici potest, ipsum

Platonem ideam unam constituisse, quae ceteras contineat ac regat, scilicet boni, nam substantia Spinozae multo absolutius regnum accepit, quam Platonica boni idea, quae magis prima est inter pares. Etenim substantia rerum et existentiam et essentiam constituit; boni idea ne essentiam quidem, quum deus sit creator, qui suadente illa boni idea materiae ideas informat. Quocirca singulas rerum apud Spinozam ideas cum Platonis ideis nullomodo comparare licet, sed tantum substantiam. Quamquam etiam ista comparatio neutiquam simplex est. Illae enim Platonis ideae numero infinitae sunt, unica substantia; suam quaeque idearum propriam vim habet et naturam, substantiae attributa tantum imperfecta mentis contemplatione, non revera distinguuntur. Nec Plato materiam existere contendit, quam licet aliquo loco Timaei nominet εἶδος, plerumque tamen opponit ideis; recentior autem philosophus materiam, quam sub extensi notione percipit, ad ipsam substantiam allegat. Deus denique Platonis ab ideis disjunctus est; apud Spinozam idem deus est ac substantia. Nihilominus etiam hac in re sunt quaedam, quae apte comparari posse videntur. Nam ut incipiam a deo, Plato illum vult bonum esse; bonitas autem cum sufficientia conjuncta est: quam si Plato penitus persecutus esset, cum deo omnia, quaecunque non solum sunt, sed quae etiam cogitantur vel possunt cogitari, debebat unire; quo facto ad id venisset, quod Spinoza docet. Plato igitur implicite eandem de deo promit sententiam, quam Spinoza explicite proponit. Omnino diversitatem ac copiam mundi Platonem veras habuisse, Spinozam ad mentis nostrae mutilatam cognitionem retulisse tenendum est; apud hunc summa rerum unio demonstratur, apud

illum animus ipse disjecta et diversa mundi membra cogitatione colligere jubetur. Hujus rei causa Graecus ideam boni inducit, in qua summa est unitas, ut in Spinozae substantia; cujus in gremio et gignendi inest lex atque ordo, et rerum forma finisque. Itaque quum Plato deum a materia sejunxerit, ideas constituerit medias, maxime autem ideam boni omnium fecerit conciliatricem, Spinoza autem et extensionem et cogitationem in ipsius substantiae notionem subsumpserit; alter, quomodo rerum diversitas oriretur, quam ipse esse ponit, non satis explicavit, alter — Spinozam dico — unde venirent variae mentis ideae, per quas inter se diversas esse res credimus, demonstrare neglexit. Ille et res et mentem cum ideis esse conjunctas tantum praedicat, quod quomodo fiat in rebus, non liquet; Spinoza vero quum omnem differentiam a substantia removeat eique omnem existentiam largiatur, quo pacto modi ejus diversi existere possint, non enucleat.

Quam propositam difficultatem Plato si non solvit, at certe, quo possit confugi, indicat. Dualismum enim rerum sanaturus novum altioremque dualismum intulit mundoque huic, quem oculis cernimus, mundum opposuit aeternum ipsarum idearum, intelligibilem, purae mentis contemplationi obvium, ad quem escendi oporteat. Cui elysio nihil simile habet Spinoza praeter substantiam, ad quam non tendimus, sed recurrimus, quae quoniam omnem existentiam vitamque in se continet, philosophia vitae meditatio est. Plato vero ad istum purarum idearum conversus orbem, in Phaedone philosophiam mortis esse meditationem dicit, per quam corporis exseramur vinculis. Terrestri enim vitae multimodis adjuncta est materia, quam hic a vera existentia sive substantia separat, ille cum ea jungit.

Dijudicando vetustiorum philosophorum sententias Plato sese ad ideas erigit, quas nactus nullomodo exuit artem criticam, sed medium se inter ideas rerumque mundum collocat ut arbitrum generis mixti (*τοῦ πεπεραςμένου*): Spinoza diversas Cartesii substantias in unam conglutinavit, Deum ejus cum natura, ipsamque mentem cum substantia arctissime copulavit; ideoque non dirimendo, sed conjungendo suam adeptus substantiam jam pergit in conciliando diversissimas res. Utriusque igitur dialectica (si velimus Spinozae tribuere dialecticam) non doctrinae refert speciem in artis formam redactae, sed vivida est ipsoque ex usu patens necdum a metaphysicis separata neque a morali philosophia prorsus aliena.

Spinoza omnia sub aeternitatis et necessitatis specie intuens, Plato in idearum proprietate atque analogiis tanquam inhaerens philosophatur; ambo veritatem intus esse hominibus confidunt, sed alter expergefacere ideas recordatione studet, alter sopire errores; hic ad simplicitatem reducit philosophiam, ille eandem reddere vult copiosam ac plurimas complectentem res. Spinoza uti omnino causam finalem non solum a dei, sed etiam ab hominum natura removeri jubet, ita omnia mathematicis quodammodo legibus subjicit; Plato finis et consilii plenum habens et deum et mundum et hominum ingenium, organica ratione considerat omnia ac philosophatur. Qui est diversitatum apud nostros fere omnium communis et praecipuus fons.

Praeterea Plato aeque ac Spinoza, postquam ille in dialogis dialecticis, hic in tractatu saepius laudato legentium animos per dialecticam ad suum philosophiae genus principiumque vocavit, missa subjectiva illa, quam dicunt, disserendi ratione, objectivum ac perfectius scientiae sy-

stema condituri, Rempublicam et Timeum Graecus, Judaeus ethicam scripserunt. Qua in re notatu dignissimum est, quod, Platone Timeum Reipublicae postponente — id quod probat Timaei exordium — Spinoza moralia post physicam auctore Aristotele collocat. Nam quum Spinoza omnia animata, diversos autem animationis gradus esse doceat, homini talem naturam attribuit, quae cum substantia ipsa maxime sit congrua ejusque attributa perfectissime exprimat. Ita homo philosophiae finis fit ultimus. Verum Plato, quas in animo gerit, ideas, in rerum mundo quaesiturus nihil iis propius ac convenientius republica reperit, cujus perfecta imago referat necesse est idearum speciem: mundus autem externus, qualem in physicis consideramus, quoniam cum materia conjunctus est, nec prorsus intelligitur nec verus esse philosophanti, sed tantum verisimilis videtur. Itaque physicam appendicis instar esse vult sive mythi, earumque rerum explanationem non Socrati, sed Timaeo mandat Pythagoraeo. Licet autem Plato rebus physicis minorem evidentiam, quam iis dat Spinoza, esse velit, nihilominus tamen majore studio et amore eas amplectitur. Iste quum, necesse est, inquiat, tantum de Natura (scilicet: rerum) intelligere, quantum sufficit ad — perfectam — naturam conquirendam, videre est ethices tantum gratia suscepisse quaestionem physicam. Hunc igitur, Platone nullum certum finem sed solum cognoscendi studium in ea contemplatione sequente, ad physicam explicandam rei adigit utilitas.

At quum primum in ipsa physica constitere, jam mutatis partibus Graecus ubique quaerit finem; ille finis expertem mundum esse vult et ad ejus causam, quae simul est causa sui, attendit. —

Platonis mundus duas partes habet, alteram idearum, quae semper est neque ullum ortum habet, quae sola intelligentia et ratione comprehenditur, alteram rerum, quae creata est et movetur et opinationi tantum objicitur. Harum partium altera alterius est simulacrum, cujus creandi, quod τὸ μικτὸν, τὸ πεπερασμένον vocatur, materia dedit occasionem. Mixta enim — ita ait P. Tim p. 48 etc. — hujusce mundi generatio e necessitatis et rationis coitu generata est; ratione autem necessitatem superante ac persuadente, ut plurimam rerum, quae gignerentur, partem ad optimum perduceret, ita ex persuasione rationali hoc universum de initio conflatum est. Mundi ergo causarum altera est divina ac rationalis penes deum atque ideas posita, altera necessaria et cum materia conjuncta. Illa libera est et consiliosa; haec vero sese vinci ac superari patitur. Simili modo Spinoza mundum in duas partes dirimens, per Naturam naturantem, ait, nobis intelligendum est id, quod in se est et per se percipitur sive deus, quatenus ut causa libera consideratur, per naturatam autem intelligo id omne, quod ex necessitate dei naturae, sive uniuscujusque dei attributorum sequitur, hoc est, omnes dei attributorum modos, quatenus considerantur ut res, quae in deo sunt et quae sine deo nec esse nec concipi possunt. Unde sequitur, duas mundi partes apud Spinozam non prorsus et quod dicunt per diagonalem sibi oppositas esse — ut vult Plato — sed ad deum referri etiam alteram; res enim particulares negat in se habere existendi necessitatem: neque deus commotus est ad creandum bonitatis suae tamquam externa vi — ut Plato putat, Spinoza autem acerbissime reprihendit — neque secundum finem aliquem agit, sed liber est

et in se continet creandi facultatem et materiam. Itaque Spinozae generandi principium simplex atque unicum, Platonis quatuor enumerare possis. Hic enim primum inducit materiam, deinde ideas (*τὸ τί ἦν εἶναι*), quae formam rebus comparant, porro deum, qui est *τὸ ὅθεν ἡ κίνησις*, ut pergam loqui cum Aristotele, denique bonum sive dei similitudinem, totius mundi communem finem (*τὸ οὗ ἕνεκα*). Spinoza materiam cum deo conjunxit eumque res formasse confisus, substantia, inquit, causa est tam rerum essentiae, quam existentiae. Necessitatem autem, quam Plato deo opponit, ipsi deo attribuit eique illud, „aliter sese posse habere" abjudicat. Attamen libertatem ejus servare studens, miram in ambiguitatem abducit lectores. Interdum enim, quum de substantia loquitur, speciem ejus infert immobilem, rigidam, soli existentiae ac necessitati obnoxiam, infinitam atque indefinitam, mox vero dei pingit imaginem perfectissimi, sapientissimi, cogitantis sese hominumque naturam ac rerum: nihilosecius unum idemque est deus et substantia. Qua ex ambiguitate ne Spinoza quidem ipse sese extricasse putandus est. Quo fit, ut partim substantia ejus Platonicae materiae similis videatur, partim dei; maxime autem convenit cum ideis, quae rebus et existentiam et essentiam suppeditant. Porro, qui est apud Graecum totius generationis finis, boni ideam Spinoza non habet quidem, sed si consideramus, bonum, quod vult Plato —, ad dei naturam pertinere, deumque omnia ad ipsius similitudinem quam maxime creavisse, Spinoza eam sententiam neutiquam aversatus, res omnes aliquid substantiae in se traxisse retur. Sed ea est inter ambos differentia, quod Spinoza creationis tantum causam facit divinam, Plato, quum ponat finem, hunc etiam divi-

num esse censet. Ac Platonis deus rerum est causa transiens — secundum ipsarum Fieri — Spinozae deus immanens — secundum ipsarum Esse —. Comparamus itaque cum Spinozae substantia primum ideam existendi, qua cum arctissime cohaerent quies et motus — Spinoza vero quietem ac motum ad existentiam non universam, sed eam tantum refert, quae sub extensionis attributo consideratur — deinde ceterarum idearum complexum, porro ideam boni, denique deum Platonis, postremo materiam ipsam. Materia sese extendit et infinita est, parimodo substantia; boni idea sufficientiam in se continet, non aliter ac substantia, diversae ideae rerum naturam constituunt, ut substantia, deus tandem, qui sub boni idea et sufficientis adspicitur, in substantia Spinozae reperitur. Verum tamen altera ex parte Judaeus per suam substantiam proprietati rerum obest, quam servant ideae, neque satis cogitationem ab existentia distinxit; rerum praeterea finem, omnino organicarum formationum naturam, creationem ipsam atque rerum diversitatem, quae omnia explicare studet Graecus, vel funditus evertit, vel certe de principio suo deducere nequit et tergiversatur. Bonum vero, quod Plato physices quodammodo principium facit ac plurimi habet, Spinoza ad ethicam relegat et relativam, quam dicimus, notionem esse vult atque ab utilitate dependentem. Maxime autem exstirpat causam finis. Finis enim prorsus expertem deum creatorem esse judicat, quum Plato deum omnia elaborasse affirmet ad idearum exemplar; cujus differentiae ea est vis, ut ille totum mundum ad causam efficientem ac necessitatem reducere, hic omnia secundum finem explicare conetur.

Ad creatum mundum ut transeam, Spinoza plerumque

de rebus particularibus loquitur, Plato de cosmo h. e. de universo omnia in se complectente. Nimirum hic rerum pulchritudinem, ordinem, convenientiam solet admirari, ille leges ejus sequitur, quas statuturus est. Graecus gaudet rebus, quibus dei vestigia rationemque inesse demonstrat, Judaeus res singulas tantum ob id contemplari videtur, ut lectores ab earum contemplatione abducat. Plato deum animam indidisse mundo docet; apud Spinozam non anima regit mundum, sed deus ipse ejusque necessitas atque efficientia, quum nihil detur contingens. Ille rerum creationem exponere audet, quam quidem certo temporis puncto factam esse non docet; hic creationis ipsius mentionem non facit nec potest facere. Platonis deus persuasit materiae, ut ipsi concederet. Cui praeclarae sententiae quod componamus Spinozae dictum? Nullum, credo, nisi hoc: deus rerum causa est immanens, non transcendens, quo sane dicto omnem creationem mundique finem e philosophia sua expunxit: omne enim deus est et unum. Plato mundum vult dei quam simillimum fieri, Spinoza mundum cum deo aequiparat. Nempe hic, quamquam plerumque res singulares, velut homines, ita considerat, ut sua quaeque natura a ceteris separata sit et in se constet, tamen quum strictius principium suum sequatur, omnia conjungere et in substantiae ambitum introducere cogitur. Unde dualismus, si non principii, at certe contemplationis exoritur, quum Plato apertius naturam mundi bipartitam esse doceat.

Quod autem Spinoza omnes res affirmat animatas esse, id cum Platone conferri potest. Apud hunc enim ideae rebus informatae, harum tamquam animam constituunt, cui corpus accedit materiale. Sed Plato res mixtas esse,

Spinoza vero omnia ejusdem substantiae esse contendit, quum corpus et animam ad eandem substantiam, quae est omnibus communis, ut attributorum affectiones pertinere velit. Rerum mundum apud Platonem constituit materia, apud Spinozam modus cogitandi negativus — omnis determinatio est negatio — apud utrumque res singulae non vere sunt, sed ille mundum idearum sequitur, hic substantiae uniformitatem. Illius physica contemplatio in rebus nihil nisi divinam originem quaerit; hujus mundus ad naturam divinam redit.

Mundus enim creatus, ut ait Plato, nihil nisi simulacra atque involucra praebet aeternarum idearum, ac boni vim deique testatur potentiam, quae diversissimis figuris ac pulchritudinibus manifestata considerantium pectora in admirationem trahit: Spinoza non res ipsas, sed earum limites et ut ita dicam confinia plerumque adortus, imperfectum naturae statum, quum omnis ejus differentia aliquid imperfecti ipsi videretur involvere, mutilatae mentis nostrae cogitationi imputavit. Sed tamen ea doctrina difficillima est atque ambiguitatis plenissima: modo enim dicit, per attributum intelligo id, quod intellectus de substantia percipit, tamquam ejusdem essentiam constituens — ubi attributa ad ipsam substantiae essentiam non vere referre videtur — modo cogitare dicit deum seseque amare nostrumque dei amorem nuncupat ipsius dei erga se amorem — ubi cogitatio dei vera esse videtur et vere existens; modo de rebus ita judicat, ut sine deo non possint concipi, deinde vero eas ab eo separaturus per modum, inquit, intelligo substantiae affectiones sive id, quod in alio est, per quod etiam concipitur. Ut paucis dicam, non intelligitur, quid sit illud „attributum", quid sit „af-

fectio" sive quomodo substantia affici vel attribui ei aliquid possit, quum nihil sit praeter ipsam, existentia autem potentiae exaequetur. Apud Platonem denuo, quid sit *κοινωνία* sive *μέθεξις* idearum cum rebus, deinde, quomodo ideae a deo creatae sint, denique, quid sit illud, *πείθειν τὴν ὕλην*, parum liquet.

Itaque composui non solum earum rerum summam, quae certis sententiis conscriptae sunt, sed etiam difficultates ipsas metaphysicas, quemadmodum a nostris enodatae non sunt; mittam autem Platonis de mundi ex elementis compositione, de anima mundi, de motibus coelestibus, de deorum creatione, de plurimis aliis doctrinam, quum nihil fere eorum in comparationem possit venire.

Jam vero ad hominis contemplationem transiturus — in qua nostrorum philosophorum plurima inest similitudo — praefandi materiam sumam ab eo, quod ambo de naturali hominum indole protulerunt: quo exposito ad ethicam proprie dictam facillime ducemur.

Hominis natura quum animo et corpore divisa sit, Spinoza utrique parti parem vim, parem auctoritatem vindicans et corpus a mente regi et mentem a corporis impetu pendere prorsus negavit. Nimirum ille hominem partem facit substantiae partitionemque istam, qua corpus et animus discernuntur, nullomodo talem esse vult, quae unitatem concordiamque humanae naturae deleat: videtur enim tantum bipartitus esse homo, quum re vera sit in se unicus. Sed Plato corpus ab anima toto genere distinxit et quo magis ingenii dignitatem amplificavit, eo humilius et abjectius corpus esse judicavit. Jam vero ambo de anima sententiam fere eandem proposuerunt, proprium ejus bonum statuentes cogitationem. At Spi-

noza, apud quem idem est anima atque mens, mens autem definitur esse modus, qui deum certo et determinato modo exprimit, quatenus ut res cogitans consideratur, sive pars infiniti intellectus dei, nihil de creatione mentis habet, cui, non dicam infinitam durationem, sed ipsam aeternitatem tribuit: Plato in Timaeo deum animas nostras ad exemplar ejus, quae universum mundum regit, animae creasse narrat, cui creationi ne materia quidem ipsa deest. Deinde, ut animarum cum corporibus conjunctio demonstretur, Plato duplicem vel triplicem affert rationem. Etenim in Phaedro et in Phaedone corpus animae tamquam custodiam esse apparet, in quam conjecta ista et consignata facinorum commissorum luat poenam; in Republica suam quaeque secundum voluntatem anima corpus induit, migratione ab alio in aliud corpus instituta; in Timaeo autem, quamvis etiam ista migratio admittatur, philosophus deum ipsum creavisse humanae naturae divinam partem, mentem, qua cogitamus, scilicet, daemones vero, qui dei summi filii sunt, non solum mortale corpus unicuique animae circumdedisse, sed etiam aliam, quae affectiones ac cupiditates contineat, animae speciem in eo adstruxisse docet. Totum igitur corpus humanum affabre factum est sic, ut mentis imperio serviret. Nec supervacaneum putavit philosophus, singularum corporis partium munia et facultates explicare, quo clarius appareret et creantium sapientia et ipsius, quod organica ratione compositum est, corporis virtus.

Spinoza quemadmodum docebat eandem esse auctoritatem corporis, eandem mentis, quia pari modo ad substantiam referuntur, nihil habet, quo corpus cum anima conjunctum esse demonstret, docetque corpus mentem ad

nihil determinare posse, nec mentem determinare corpus. „Etenim mentis tam decretum quam appetitus et corporis determinatio simul est natura (ut ait) vel potius una eademque res, quam quando sub cogitationis specie consideramus, decretum appellamus, et quando sub extensionis consideramus, et ex legibus motus et quietis deducimus, determinationem vocamus." Cujus sententiae ultima verba optime testantur ipsa, quemadmodum de corporibus hominum judicaverit Spinoza. Mechanicas enim tantum sequitur leges atque enucleat, vitae organicae naturam neutiquam perspiciens. Mox vero — quam diversus hac in re a Platone! — a corporis humani rationibus se convertit ad animam, cujus et passiones et potentiam miro acumine indagat.

Animae nimirum et actiones et passiones esse statuit. Quum habeamus affectus, qui ad corpus pertinent, quibus ipsius corporis agendi potentia augetur vel minuitur, juvatur vel coercetur — eorum affectuum habemus ideas in mente, quae etiam vocantur affectus. Omnis autem hominis virtus in eo consistit — ita pergit Spinoza — ut suum Esse conservet; — namque uti vidimus, idem est Esse et potentia et perfectio. Omnem finem delet Spinoza etiam in ethica; potentiam servare naturalem h. e. eam, quam in nobis possidemus, substantiae partem, summum et unicum studium debet esse hominibus.

Omnes affectus ad cupiditatem, laetitiam vel tristitiam referuntur. Cupiditas est ipsius hominis essentia, quatenus ex data quacunque ejus affectione determinata concipitur ad aliquid agendum. Laetitia est passio, qua mens ad majorem perfectionem, tristitia passio, qua ad minorem perfectionem transit. Hinc videmus Spinozam

omnes affectus a corpore deduxisse eorumque ideas in mente, posteaquam in corpore orti essent, tum demum dixisse sequi — quod quomodo fiat, non intelligitur. Omnes affectus in mente gignunt ideas inadaequatas ideoque mentis sunt passiones. Mens autem, quantum potest, ea imaginari conatur, quae corporis agendi potentiam augent vel juvant, quae etiam utilia sive bona habet.

Plato pari modo bipartitam esse judicans animam, alteram ejus partem facit intelligentem, quacum comparari potest intellectus Spinozae; alteram in fortitudinem et cupiditatem distribuit; quam ad res sensibus objectas spectare vult. Fortitudinis Spinoza dicit esse omnes actiones, quaecunque sequuntur ex affectionibus et ad mentem referuntur, quatenus intelligit; Plato vero fortitudinem actionum omnium nostrarum causam atque incitamentum ponit, nobili equo eam comparans. Comparemus porro affectus, quales apud Spinozam sunt, cum cupiditate Platonica, quam hic non exoriri, sed moveri atque excitari tunc censet, quum voluptas cum re externa quasi misceatur. Spinoza dicit laetitiam, quae fere eadem est atque Platonis ἡδονή, sequi affectum, si ille corporis auget agendi potentiam. Scilicet laetitiam et dolorem, amorem et tristitiam — quae omnia sunt animarum — demum ex affectibus corporis Spinoza docet proficisci. Plato vero ea omnia ut qualitates ad ipsam refert animam.

Namque ea est inter ambos philosophos hac ex parte summa discrepantia, quod Plato cupiditates ipsas ad animam pertinere, easque, quum excitentur antea quiescentes, ex anima ad res externas quasi profluere ac proferri docet; Spinoza vero affectus primum in corpore oriri, tum vero in animam ac mentem eorum venire ideas vult, quae

tantum modi sint cogitandi. Cupiditates autem passiones esse consentiunt. Opponit ergo uterque easdem intellectui; Graecus autem, quum nostram naturam corpore et animo dividat, cupiditates etiam in se ipsis dividit ita, ut non solum bona nos amare, sed etiam mala, neque solum odio habere perversa, sed etiam sobria affirmet. Cupiditates igitur statuit esse tales, ut hominibus praeter mentem et illi contrariae atque oppositae tribuantur, Spinoza eas ab ipsa cogitatione proficisci docet, quum omnino ejus naturae esse velit mentem, ut cogitet simpliciter: quocirca ipsae illae mentis passiones modi sunt cogitandi.

Sed Judaeus, quum omnem virtutem humanam in unius substantiae divinae possessione et contemplatione — hoc est illud, suum esse servare velle — ponat, relegari jubet et vinci et deprimi affectiones, at Plato eas minuendas quidem, magis autem emendandas et dirigendas esse praescribit ad id, quod exigit officium nostrum. Itaque rebus bonis et rectis gaudere, falsas et perversas lugere praecipit.

Sic enim res se habet, ut animis nostris variae facultates et affectiones tamquam chordae inditae sint, singulae natura sincerae, nondum autem universae ad concentum reconciliatae, sed quae, conciliatae recta institutione ac doctrina, velut concentum pariant virtutem et omnium virtutum summam justitiam. Praebet igitur nobis natura sui ansam, quum intelligentiae, seu contemplativam, tum fortitudinis, seu activam. Spinoza vero, dura quadam simplicitate contentus, solam dei ideam nobis ob oculos ponit, quam sequamur, qua omnis laetitia, omnis amor, omne denique, quod vitam faciat vitalem, inclusa teneantur.

Iterum nos Spinoza retrahit ad causam, Plato provehit ad finem virtutis.

Complures omnino virtutes esse statuit Plato, maximas autem eas, quae cardinales vocantur, fortitudinem, quae ad partem animae fortem refertur; continentiam, quae in compescendis cupidinibus cernitur, et apud unumquemque hominem sui cognitione nititur — qua de re agit Charmides dialogus —; sapientiam, quae est purae propria menti; omnium autem, ut diximus, conciliatricem justitiam, quae suo quamque animae facultatem officio bene fungi facit. At Spinoza, per virtutem, ait, intelligo idem ac per potentiam, h. e. virtus quatenus ad hominem refertur, est ipsa hominis essentia seu natura, quatenus potestatem habet quaedam efficiendi, quae per solas ipsius naturae leges possunt intelligi. Si vero quaerimus, quae sit ista potentia humana, amorem solummodo reperiemus dei intellectualem, intermissis aliis, quae vulgo feruntur et apud Platonem enumerantur virtutibus.

Etenim tribus rebus iisque gravissimis a Spinoza discrepat Plato; primum, quod libertatem et voluntatem humanam non prorsus sustulit, uti ille; deinde, quod malum, — *τὸ κακὸν* — posuit esse non contradictorie, sed contrarie bono oppositum, ita ut sit quodammodo positivum, postremo, quod beatitatem virtutis praemium voluit esse futurum, quum Spinoza utramque redigat in unum. Quapropter apud Platonem virtus est certamen institutum contra quoddam, quod esse ponitur, scilicet *τὸ κακὸν*: apud Spinozam occupatio ejus sive ad id reditus, quod solum est; vel — ut nostris utar vocibus — Platonis virtus est negatio positivi cujusdam ut alterum positivum habeatur, sed apud Spinozam negatio negativi. Qua in re si quispiam, unde sit illud malum et quomodo sit, apud Platonem quaesierit, responsum sane non feret, nec,

si apud Spinozam, unde oriatur impotentia humana et quid sit illud negativum, quod dolorem gignit et tristitiam, interrogat.

Spinoza igitur virtutis summum fastigium in aliqua animae nostrae conditione posuit, ad quam ut veniamus, penes unumquemque est facultas; Platonem vero notio justitiae, in qua columen virtutis inesse credidit, a singulorum hominum natura atque officio ad publicam vitam civitatemque traduxit, qua formata majorem nanciscamur sufficientiam. Quare universae ethices finem, acquiescentiam et beatitatem, Plato sine arte politica nullo pacto dari, Spinoza magis ad solam humanae mentis in se perfectionem pertinere putat. Sed est, ut Graecus etiam ingenii scientiam atque peculiarem cogitandi facultatem plurimi faciat: quae est illa *ὁμοίωσις τῷ θεῷ*, quacum amorem dei intellectualem Spinozae proxime comparare posse videmur.

Quam animi humani praestantissimam virtutem uterque splendidissime exposuit. Praecipit autem Plato boni ideam quasi ob oculos esse ponendam, quae, ut sol oculis nostris lumen affundit efficitque, ut corpora cernere possimus, ita menti affert cognoscendi facultatem resque intelligi posse facit. Praeterea quia bonum illud rebus cunctis non tantum hoc largitur, ut cognoscantur, sed etiam ut sint, summa nos sui admiratione et desiderio usque crescente implet. Hanc igitur ut per se solam intueamur et cogitando comprehendamus, ante omnia opus est, quandoquidem ista cum idea nihil non sit conjunctum, quod felicitati nostrae inserviat. Neque aliter Spinoza nos ad substantiam contemplandam evocat, cujus ipsi sumus pars et ad quam, tamquam ad parentem amantissi-

mam, e longa peregrinatione reduces confugiamus. Etenim haec animam pascit cogitatio et omnia sub necessitatis et aeternitatis specie facit intuentes laetitiaque nunquam intereunte implet.

Sed mirum fortasse non videtur, quod hac in re inter se consentiunt philosophi nostri, quum sententia fere communis sit, summum quoddam bonum in pura ratione inesse, ad quod considerando applicare nos debeamus. At habet haec ipsa doctrina amborum consensum multo etiam admirabiliorem. Etenim uterque cum intellectu conjunxit amorem: quo facto non modo cogitantem, ut ita dicam, animae humanae partem, sed totum hominem ad philosophiam traxisse videtur, quia ea amoris est vis, ut tamquam penetrabili quodam jaculo ad medullam transfixi, nulla interposita mora, omnibus aliis abjectis illecebris, toti ad id, quod amamus, corpore et animo transeamus. Sed quamquam sunt, qui sententiam Spinozae ad tale nos exhortantis studium secus accipiant et quod amorem vocaverit laetitiam concomitante idea causae externae, amorem erga deum intellectualem, quum deus nunquam causa nobis externa sit, nihil nisi inane et nugatorium cerebelli figmentum esse dicant — tamen, rem ita sese habere, ut credam, adduci nullo modo possum. Quippe tanta est divini viri magnitudo, ut non solum quum suum principium sequatur, sed etiam, quum ab eo paulum declinet, nostram in se venerationem convertat. Eant ergo, qui praeclaram sententiam praecipiti abducti humilitate, adspergere macula non dubitarunt. Scilicet intellectus et cogitationes merae atque abstractae quoniam divini numinis neque vim ferre neque profunditatem exhaurire possunt, confugiendum est ad amorem, cujus ardore, quae

deliberanti desunt ingenio, feliciter compensantur. Quid enim? Ad deum toto animo qui se vere erigit, mystica quadam vi et amatoria abripitur et poëtae instar amabiliter insaniens in coelum ipsum ac dei communionem introivisse sibi videtur.

Qua admiranda ingenii humani perspecta potentia, alter ab altero tamen philosophorum discrepat in eo, quod ad obtinendum divini amoris donum conducat. Etenim Plato in Convivio, postquam de amore multa disputavit, periclitere, inquit, mihi quam maxime praebere aures. Qui enim etiam atque etiam inspiciens ea, quae vere pulchra sunt, nutritus est in amoris succo, postremo spectabit admirabilem quandam pulchritudinis speciem; cujus spectaculi gratia omnem illam praeteritam impenderat operam. Istud autem (quod videbit) est aeternum, nunquam fit aut deficit; neque crescens aut decrescens, ubique pulchrum ac semper, nec habet faciem nec manus nec aliud ullum membrum, neque est sermo neque scientia, neque in alio est, sed in se ipso manet et apud se, natura sincerum atque sempiternum. Illud qui nactus est, vitam aget vere vitalem; illud qui intuetur, procreabit non virtutis simulacra, quippe non simulacrum attingens, sed virtutem ipsam, quippe attingens verum." Qua in praeclara sententia nonne idem proponitur, quod in illa, quam attulimus: dialecticam procedere ad id, quod sine suppositione sit, purum illud ac verum, sive: dialecticum esse synopticum? Nempe eam philosophi ingenii naturam esse vult, ut non conquiescat, antequam ad purarum idearum conceptum pervenerit. Quia vero istuc vitae humanae columen nunquam plane contingitur, virtus est appropinquatio, studio similior quam possessione; sed

apud Spinozam ab idea dei jam concepta procedit virtus; dicit enim summum mentis conatum summamque virtutem esse, res intelligere tertio cognitionis genere, quod positum est in concepta dei idea adaequata. Quapropter apud Platonem summa virtus magis appetitur, secundum Spinozam potest possideri. Nempe Plato ideam boni, quacum pulchritudo et sufficientia copulatae sunt, extra nos positam et inenarrabili quodam spatio a nobis discretam esse vult: Spinoza dei sive substantiae imaginem et naturam in nobis ipsis esse ratus, ad nosmet ipsos facit nos reduces. Deinde statum hominum communem quum Graecus criminibus paratum et depravatum, Judaeus naturalem, sed erroribus obnoxium esse dicat, ille totam hominum vitam, hic magis intellectum emendare studet. Fidem autem immortalitatis ille ab idearum aeternarum, qua fruimur, nunquam intereunte possessione, hic ab ipsius dei nobiscum participatione, cujus sumus aeternae particulae, deducit. Ita Plato nos diis immortalibus cognatos esse vult, Spinoza cum deo quodammodo exaequat.

Jam vero Plato iis, qui vitiis servientes verae virtuti operam non dant, poenas minitatus gravissimas, piorum et impiorum post mortem vitam maxime diversam esse docet: Spinoza quum unicum malorum fontem haberet errorem, erroris inscitiam, liberamque tolleret voluntatem, neminem accusans atque increpans, naturali necessitate poenam affirmat sequi peccatores, cum contra sapiens — ita ait — quatenus ut talis consideratur, vix animo movetur, sed sui et dei et rerum aeterna quodam necessitate conscius, nunquam esse desinit, sed semper vera animi acquiescentia potitur. Neque est beatitas virtutis

praemium, sed ipsa virtus; nec eadem gaudemus, quia libidines coërcemus, sed contra, quia eadem gaudemus, ideo libidines coërcere possumus. Tali modo virtutem Spinoza omnium rerum potentissimam, Plato optimam esse judicavit. Facile autem intelligitur, Spinozam, felicitate cum virtute unita, altius procedere non potuisse, sed in ethica quatenus ad solius mentis cultum pertinet, acquievisse: Graecum autem philosophia ad politicam condendam perduxit. Spinozae ethica est solum subjectiva (ut nostris vocibus utar); Plato objectivam superstruxit subjectivae. Quum Spinoza vero et civitatem apprime utilem esse judicet et cognitionis humanae argumentum, deum, ab omni hominum singulorum proprietate longissime separet et omnibus commune atque universale esse velit, disciplina ejus moralis, etsi in cognitione et mentis posita labore, fit tamen quodammodo objectiva.

Plato quod singulis virtutis generibus propriam dederat vim aliamque earum ad alium hominem pertinere docuerat, ita ut hic magis continentia, ille magis prudentia aut fortitudine ageretur, naturalem hominum aequalitatem substulit, quam quidem Spinoza, plurimi faciens uniuscujusque hominis animam, servans firmissime omnem ordinum diversitatem non naturae, sed voluntatis vel etiam perversitatis humanae esse vult. Etenim apud antiquos omnino ea obtinuit opinio, e bono viro bonos filios, e malo malos solere procreari: cui sententiae maxime ut Spartani antiquissimarum rerum tenacissimi, ita aristocratiae amicus Plato faverunt. At religio Christiana, quae omnes homines dei esse liberos atque ad omnes veritatis divinae et cognitionem et salutem pertinere praecipit, nullomodo quemquam, ex quo innotuit, aliud juris publici

fundamentum, quam aequalitatem hominum omnium naturalem statuere passa est. Unde fit, ut civitatis speciem conceperit alter philosophus alteram.

Attamen ab ethica proprie dicta uterque eandem fere viam sibi ad politicam aperuit. Homines enim ut societates jungerent et rem publicam constituerent, commovisse indigentiam dicunt. Verum Plato, non eo contentus, iterum ad idearum doctrinam confugit, ne externis solummodo conditionibus formationem reipublicae tribueret. Dixit autem justi ideam singulis hominibus inesse quidem, sed eandem facilius et apertius cerni in civitate velut in tabula grandioribus litteris conscripta. Addit deinde eandem esse et idem efficere justitiam in tota civitate atque in uno homine, sed vim illius in civitate, quae major amplior que sit, et facilius et clarius perspici posse. Itaque Plato civitatis formationem non suscepit civitatis causa, sed ut explicaret justitiae sive justi ideam; Spinoza vero, quum civitates ad usum solum hominum referret, fundamenta earum jecit talia, quae publico usui fore putabat. Deinde, quamvis indigentiam hominum civitatis causam esse voluisset Plato, tamen, missa hac sententia, ad idealem civitatis conceptionem sese contulit: id quod Spinoza et vituperat et aversatus est. Quum animum, ita ait, ad politicam applicuerim, nihil, quod vel novum vel inauditum est, sed tantum ea, quae cum praxi conveniunt, certa et indubitata ratione demonstrare aut ex ipsa humanae naturae conditione deducere intendi. Discrevit autem jus naturale a jure civili: quod Plato, homo antiquus, non fecit. Hic enim, ut extra civitatem degerent homines fieri posse negavit; quocirca civitatem eadem necessitate naturali existere vult, qua ipsum mundum. Spinoza

vero tum demum civitates oriri censet, quum voluerint homines convenire. Itaque Spinozae civitas pactione, Platonis vero natura atque ejus necessitate fundatur. Ille nihil eam esse judicat quam multitudinis conjunctae potentiam ac voluntatem; hic ad rempublicam super singulorum hominum arbitrium elatam singulos lege naturae accedere putat. Spinoza igitur civitatis eam sibi informavit imaginem, quae singulorum potentia efficeretur tamquam partium integrum ac totum aliquid formantium; Plato singulos homines nihil nisi articulos sibi finxit corporis ejus, quo cum velut anima conjuncta esset idea justi libera ac sublimis. Regnat ergo in civitate Platonis idea aeterna, nunquam satis ac plane manifesta, ad quam tendunt omnia; in Spinozae voluntas publica sive utilitas communis.

Videmus, fundamentum reipublicae Platonicae esse rationale, ab ipsius rationis purae decretis repetitum; Spinoza experientiam facit politices magistram, licet non inficietur, eam optimam esse rempublicam, quae maxime secundum rationem constituatur. Plato summam analogiam proponit internam unius hominis justitiam inter et externam civitatis conditionem, alter reipublicae statum ad interiorem hominis naturam et ut ita dicam domesticum officium, quae est dei cognitio, pertinere negat.

Porro, quemadmodum unica est justi idea et unica hominis imago perfecti, reipublicae etiam excogitavit Plato statum eum, qui optimus esset omnium et quam maxime conveniens justitiae. Justitiam autem quum posuisset in recta virtutum omnium distributione et quasi concentu, eam judicavit esse optimam civitatem, in qua unusquisque civium non sibi viveret, sed exculta naturali sua indole, ad publicam utilitatem, quantum ipse posset, con-

ferret. Itaque virtutem colere publicum fit officium, quod apud Spinozam est privatissimum. Caeterum hic omnium hominum unam virtutem esse dixit: Graecus autem, quum plures virtutes constituisset, earum ad normam civium ordines concepit diversos, adeo, ut non omnes philosophari et ad verum cognoscendum sese elevare posse, contendere ausus sit.

Alter unicam virtutis speciem, complures autem, in quibus bene viri posset, civitatum formas, alter complura virtutum genera, unicum autem optimae reipublicae statum excogitavit; uterque tunc optime vivi in civitate affirmavit, quum omnium voluntates ad publicam ac communem salutem ita conferrentur, ut omnes unum quasi corpus unamque animam conficerent — quo sane dicto Spinoza ad Platonis analogicam rationem proxime accedit. Neuter vero justi naturam satis perspexit. Nonne enim injustissimum est, matrimonia solvere, admittere servitutem, secludere barbaros a civili conditione — quae omnia Plato fecit? Neque aliter Spinoza, quod uniuscujusque hominis sola potentia et voluntate contineri jus docet, justitiam communem, qua ei nihilominus opus est, funditus videtur sustulisse. Etenim justi notionem Plato aequo magis extendens, et privatam vitam destruxit et libertatem sustulit fere omnem; Spinoza nimis coarctavit et extenuavit et, uti solemus dicere, negativa tantum facultate instruxit.

Ad servandum civitatis statum integrum, moribus civium ipsis Plato summam tribuit auctoritatem ac liberorum educationi et institutioni operam dari jubet quam maxime, ne interna animarum praestantia deleta, libidinum externa incitamenta obtineant: contra Spinoza „res publi-

cae", inquit, „ita ordinandae sunt, ut qui easdem administrant, sive ratione ducantur, sive affectu, induci nequeant, ut mala fide sint sive prave agant. Nec ad imperii securitatem refert, quo animo homines inducantur ad res recte administrandas, modo res recte administrentur; animi enim libertas seu fortitudo privata virtus est, at imperii virtus securitas." Itaque dicere posse videmur, civitatem optimam Platonis esse moralem; Spinozam autem praescribere constitutionem legibus ac pactione fundatam.

Denique ad ipsius reipublicae formam ut attendamus, quae, ut Aristoteles dicit, ab eo accipit nomen, qui imperium exercet, Platonis optimam civitatem non aristocraticam appellemus, sed ideocraticam. Scilicet justi ideae, quae ipsa species tantum est ideae principalis boni, non solum opifices et milites, sed ipsi rectores subjecti sunt. Sed quia civium ordines ordinantur secundum ipsorum cognitionem justi ac boni, primi sunt et potentissimi philosophi, hac ex causa quodammodo regnantes. At Spinoza quamvis communem civitatis voluntatem esse statuat, a qua omnes cives veluti mente duci debeant, eandem tamen neque philosophicis rationibus definit neque aeternam aut idealem aut indissolubilem esse vult, sed civium voluntati facit obnoxiam. Namque justum et bonum, quae apud eum notiones sunt relativae, est id, quod placet civitati communi, quod, licet hic vel ille improbet, tamen sequi debet. Nemo enim quidquam contra suae rationis praescriptum agit, quatenus id agit, quod jure civitatis fundatum est. Ita id, quod in Spinozae civitate regnat, definitur formaliter, ut ita dicam; realiter, quod in Platonis optima republica civibus praeest.

Habet praeterea utriusque civitas aliquid, cui sine ulla oppositione pareri necesse est. Apud utrumque absolutum reperimus subditorum obsequium, nam quod Spinoza dixit, unumquemque civem non sui, sed civitatis juris esse, ad Platonem eodem modo potest transferri. Quod tamen ita fit, ut Plato totum hominem vitae publicae dederit et consecraverit; Spinoza optimam naturae nostrae partem, intellectum, proprie quidem et immediate ad civitatem pertinere negat.

Platonicae igitur civitatis prima formatio ab hominum indigentia derivatur; quae ubi primum formata est, jam non solum communis vitae necessitatibus consulit, sed expressum praebet divinitatis simulacrum et, quae a natura accipimus, virtutum profert et explicat germina: at Spinoza hunc tantum rerumpublicarum finem esse vult, quo melius homines mutuo auxilio sustentati mentem possint excolere.

Quapropter Platonis ethicam cum politica ita cohaerere intelligimus, ut altera et alteram excipiat et sine illa cogitari fere nequeat; res enim publica virtutis tamquam magistra est atque effectrix. Spinoza vero politicam ab ethica secludit, quamquam legibus opus esse non negat et ipse proponit diversissimarum civitatum formas. —

His fere quum absolvisse mihi videar ea, quae in comparationem duumvirorum dicere potui, restat, ut uno veluti obtutu summas res denuo colligam.

Qui veritati studet, ait Socrates, philosophatur; ideo veri studium facit philosophum. Omnis autem veri quaestio quum bipartita sit — primum enim interrogatur, quomodo ad veritatem perveniri possit, deinde, quomodo ve-

ritas jam reperta cognitioni et vitae nostrae consulat — quaestioni priori respondet dialectica Platonis, Spinozae emendatio intellectus. Quia depravatus est, ut censet Plato, criminibus et falso voluntatis usu cognitionis humanae naturalis seu divinus status, cui idearum relicta tantum est memoria, dialectica ideas in nobis tanquam sopitas expergefacit; ideae autem non solum sunt notiones, sed in se etiam ipsis purae ac propriae; deinde rerum formae et omne id, quod de rebus praedicatur earumque veram essentiam efficit. Sed quod ad dialecticam attinet, ideae sunt merae notiones, quarum totum systema, quoniam appropinquando tantum reperiuntur, rationali modo et argumentando non disponere potuit philosophus, sed veluti bona fortuna ductus omnibus ideis praeposuit bonum, quippe quod veritatis et existentiae summam in se habeat. Contra Spinoza intellectum emendaturus amplificat et in infinitum promovet, simul autem ita definit, ut id, quod cogitando invenimus et infinitum vocamus, substantia h. e. existens habeatur.

Itaque apud utrumque talis cognitionis et existendi unio est, ut veritas in existentia sive in eo, quod vere existat, ponatur. Hunc vero realismum, quem ab utrolibet constitutum esse ponimus, neuter ejusmodi esse vult, ut omnis potentia ac facultas, omnis praestantia, omnis denique veritas soli existentiae tribuatur, sed utriusque realismi idealis est quodammodo conceptio, scilicet quod apud ambos et cogitare et cogitari plurimi habetur atque id tantum vere existere dicitur, quod, quum existat, simul etiam vel cogitatur vel cogitat, Platonicam philosophiam fit ut appellare possis realismum ejus, quod ideale

est — idearum —, Spinozae doctrinam pari modo idealismum ejus, quod est — substantia est res cogitans. — Plato ad varias diversarum idearum proprietates conversus singula indagat, Spinoza, quam animo conceperat, universalem atque infinitam substantiam et ad evertendas singularum rerum diversas essentias, — quum unica sit substantia, intelligibilem mundum cogitandi aeque ac regnum naturae, quod sensibus percipimus, continens — et ad inducendam necessitatis inevitabilis et omnia regentis notionem adhibet. Hic enim semper regreditur ad principium; Plato a principio protinus tendit.

Itaque Graecus vere existentes et veras habet ideas, verum deum, verissimam ideam boni. Sed quod dei cum ideis commercium sit, non explicat; sed creavisse deum ideas dicit. Accedit autem, ut ad mundum veniatur, materia quae neque cognoscitur neque vere existit. Rerum singularum mixturam — compositae autem sunt e materia et ideis — ordinavit deus, qui quum summe bonus sit, mundum vult quam optimum ipsiusque quam simillimum fieri. Spinoza unam eandemque substantiam, cui ne ipsi quidem verae diversitates sunt, deum et materiam et singulas facit res, quatenus his existentia potest tribui. Immanens enim mundo deus est. Contra Platonis deus ab hoc, quem oculis cernimus, orbe abalienatus, in idearum mundo commoratur. Creationis principium apud Graecum est finale, (zweckvoll) omniaque ad certum finem spectant; Spinoza ubique videt causam efficientem, quae est substantia, ad quam revertamur oportet. Ille organismum mundi instituit anima instructum; Judaeus emortuam eamque immobilem mechanicam ad res adhibet.

Plato omnia intuetur, quatenus propria sunt, ideoque multiplicem ac variatam rerum copiam proponit; Spinoza leges excogitat, quibus omnia ad unum referat. Hujus deus agit secundum necessitatem suae naturae, Platonis ad exemplar suae naturae creat.

Philosophiae theoreticae et practicae medium locum tenet anthropologia. „Homines," inquit Spinoza, „sunt ut intelligant et intelligant deum;" Plato non solum, ut cognoscamus, praecipit, sed nos ob id etiam esse vult, ut civitatem formemus, cujus omnibus numeris absoluta constitutio summam quandam theophaniam efficit. Uterque homines animo et corpore devidit, quibus partibus parem auctoritatem tribuit Spinoza, at Plato corpus pro poena nobis additum, cujus quidem illecebris ad pessima quaeque vitia abducimur, omnino jubet esse cohibendum. Affectiones aliae apud Spinozam malae sunt, aliae bonae; apud Platonem omnes et bonae et malae esse possunt pro conditione ejus, ad quod diriguntur, neque vero possunt evitari, quum a natura nobis sint datae. Plato malas libidines a corpore; Spinoza omnes affectiones ab externis causis, deinde ab ideis animae mutilatis et inadaequatis deducit. Fortitudinis notio apud Platonem amplior est, ut omnino virtutis.

Hic enim, omnis indoles naturalis, inquit, exculta parit virtutem, quarum omnium summa est justitia, in conciliandis secum animi facultatibus conspicua; Spinoza, virtus, ait, est unica, scilicet potentia hominis, quae maxime ad intellectum pertinet. Quapropter tota hujus philosophia, quandoquidem virtus cognitione nititur, ethica quodammodo est; pari ratione Platonis dialecticam vocare possis mo-

ralem. At summum ethices fastigium apud utrumque obtinet amor. Ingenti enim veri honestique desiderio incensa anima totam se convertit ad id, quod est virtutis exordium et veritatis fons. Sic animis purgamur, sic emendamur. Tali spei tantum tribuit recentior philosophus, ut ne civitatem quidem in se ipsam certum habere finem concederet, quod vetustior vult. Scilicet omnium facile prima rerum homo est; hinc omne jus naturale, quod Spinoza inducit, singulorum potentia continetur. Civitatem libera format convenientium hominum voluntas; apud Platonem ipsa justi idea hominum mentibus inhaerens.

Utriusque metaphysica est objectiva; — ut nostris terminis utar — Platonis dialectica magis subjectiva, quum ejus studium ac disceptatio ad unumquemque discentium pertinent; ethica vero, maxime autem politica, objectica. Spinoza autem, cujus fastigium in dei amore intellectuali ponit, ethicam, subjectivam esse statuit, ejus argumentum vero habet objectivum. Spinoza, si ad notionem attendimus dei, habet pantheismum, sed personalismo temperatum, quum cogitet et amet substantia; Plato vero systema emanationis, dualismo quodam bonum inter et malum, ideas inter et materiam constituto, interruptum proponit.

Regnat omnino in Platonis philosophia idearum doctrina et dialectica notionum tractatio, quam ob rem summa ubique disserendi eademque laetissima copia ac mobilitas; Spinoza gravitate, tranquillitate, unitate animos detinet, quoniam una substantia omnem causam, unoquoque deleto fine, comprehendit. Ad illum referas *ἓν καὶ πολλά*, ad hunc vero *ἓν καὶ πᾶν*. Maxime autem apud duumviros

nostros, quo ad deum et ad vere existens ducimur, auctoritas splendet divini amoris, in quo tam hominum cum deo cognatio ac reconciliatio animarumque immortalitas, quam terrestris vitae ac corporis contemptus cupiditatumque ac libidinum domitus inclusi tenentur. Etenim inde, tamquam e purissimo humanitatis fonte, praeclara ista sapientiae derivantur flumina, quae nobis etiam haurire licet et hauriendo admirari et sequi et imitari.

VITA.

Ego Carolus Maximilianus Guilelmus Schaarschmidt natus sum Berolini die III. mensis Novembris anni MDCCCXXII patre Car. Schaarschmidt, regio quondam ludioni, matre Reg. gentis Lautenschlaegeri. Religionem profiteor Evangelico - Christianam a parentibus adhuc viventibus acceptam. Primis litterarum elementis domi imbutus adii gymnasium Werderianum, deinde per annos II. apud ministrum quendam divini verbi agebam ruri, qui castigata doctrina et disciplina in me usus est, porro reversus iterum gymnasium Werderianum annos II. visitabam, donec in scholam Portensem beneficio administrationis Regiae Altiss. mitterer. Ibi per annos V. commoratus et institutione fructus praeceptorum excellentium, maturitate comparata Berolinensem almam academiam, a qua nunquam prorsus divellerer, amplectebar. Operam maximam dabam philologiae Boeckhio et Boppio auctoribus, deinde, Schellingio audito et ad Platonem accedens, philosophiae. Scholas audivi per primum annum hasce: apud Schellingium Vir. Clariss. phil. mythologiae et metaphysicam, apud Boeckhium Vir. Excelsiss. metricam et historiam litterarum Graec.; apud J. Grimmium Vir. Illustriss. Germaniam Tac.; apud Zumptium Vir. Opt.

antiquitates pop. Rom.; apud Franzium Vir. Doctiss. Aeschyli Choëphoras et Eumenides et Syntaxin Graec.; apud W. Grimmium Vir. Illustriss. carmen Fridankii nominatum Bescheidenheit. Deinde per VI. menses Halas Saxonum concessi Bernhardii audiendi causa, cujus et seminarium praestantissimum frequentavi, et audivi lectiones de antiquitatibus pop. Rom. et de Aeschylo. Apud Thilonem audivi historiam ecclesiae recentiorem, psychologiam apud Erdmannum, apud Duncerum politicam. Berolinum reversus audivi L. Rankium Vir. Ingeniosiss. de historia media, recentiori, recentissima; Boeckhium Vir. Excelsiss. de antiquitatibus Graec. et de historia litt. Graec. iterum; Dovium Vir. Praestantiss. de physica et de meteorologia; Boppium Vir. Sagaciss., quem uti G. Humboldtium, maxime sequor, de sanskritica grammatica, Lachmannum Vir. Ornatiss. de carmine Niblungiorum, Heysium Vir. Doctiss. de Catullo, Trendelenburgium Vir. Praestantiss. de historia philosophiae ejusdemque seminarium Aristotelicum per annum frequentavi et nunc etiam frequento; Zumptium Vir. Opt. de historia litterarum Roman.

Quibus viris de me optime meritis gratias ago quam maximas.

THESES.

---

1. Iliadem nunc quoque in singula carmina, quibus constat, posse resolvi.
2. Plebejos prisco tempore in curias recipi non potuisse.
3. Eadem poena esse petendum conatum interficiendi sui ipsius, quam alius cujusdam.
4. Ne prima quidem fundamenta jacta esse ejus scientiae, quam historiae philosophiam appellamus.
5. Christianismum nulla re juvari, nisi philosophia.
6. Omnium poëtarum summum Shakspearium.

